

monasteria sibi non subjecta, quia disjunctiva illa debet intelligi cum partitione accommodata; alias posset Episcopus concedere hanc licentiam renuente Prælo religionis, quod est contra debitum ordinem, supposita exemptione quam Concilium in hac parte tollere noluit, nam ideo addidit illam particulam, *vel superioris*. Per quam etiam significavit non esse satis esse Episcopum, nisi sit superior monasterii, ad hanc licentiam dandam; e contrario vero superiore sufficere, ut declaratum est. Additur vero in quadam Declaratione Congregationis Cardinalium, ubi post Concilium fuerit consuetudo introducta, ut Ordinarius det hanc licentiam in monasteriis regularium subjectis, observandam esse. Sed id profecto non erit ex vi Concilii, sed ex vi consuetudinis, quæ potest jurisdictionem dare vel privilegium tollere. Sicut etiam ibidem dicitur, ubi fuerit consuetudo introducta, ut Episcopus habeat superintendentiam aliquam super concessione talium licentiarum, ut verbi gratia, quod debeant apud eum registrari, observandam esse, quamvis Episcopus non possit tunc licentiam improbare. Quando vero hæ licentiæ dantur feminis, vel aliis personis, aut clericis secularibus Episcopo subjectis, poterit Episcopus ex parte illarum ingressum prohibere, si justam et rationabilem causam ad hoc habeat; quod magis habere potest locum in accessu quam ingressu in talia monasteria, quia ingressus non tam facile permittitur. Observandum est autem, quod Concilium præcipit, ut talis licentia in scriptis detur. Necessaria enim videtur hæ circumstantia ad vitandam excommunicationem a principio positam, sic enim ait: *Sine licentia in scriptis obtenta sub excommunicationis pena.*

16. *Quæ causæ requirantur ad prædictam licentiam.* — *Quæ causa a Bonifacio, quæ a Tridentino, postuletur.* — Jam quæ sit causa legitima dicendum. Sed hæc a Bonifacio per duas tantum conditiones explicatur, scilicet, quod sit rationabilis et manifesta. Concilium vero Tridentinum addidit, quod tantum detur in casibus necessariis. Et ita videtur priorem conditionem a Bonifacio positam coarctasse, nam rationabilis causa multo latius patere videbatur. Nam quod mater ingrediatur ad visitandam filiam, rationabilis causa appellari poterat, et tamen juxta tenorem Concilii sine dubio non est sufficiens, quia illa congruitas simpliciter non est necessitas. Qui autem censendi sint casus neces-

sarii, explicatur a glossa, in dict. cap. unic., verb. *Causa*, his exemplis: *Sicut in medicis, barbitonsoribus, sutoribus, carpentariis, cum egerint, et similibus.* Intelligit ergo casus necessarios ad vitam humanam. Tamen, licet hi frequentiores sint, non est ad illos arctanda constitutio Concilii, ut ex dicendis patebit. Quanta vero debeat esse necessitas, Concilium nihil dixit, sed simpliciter, *in necessariis*. Gregorius autem XIII, in constitutione supra tractata, *Ubi gratia et indulta*, addidit: *Sed necessitatibus urgentibus duntaxat ingredi, etc.* Sed per illam particulam nihil addidit Concilio quoad gradum necessitatis, sed observantiam et executionem ejus providit, statuens, *sub ejusdem panis ipso facto incurrendis*, ne quisquam, prætextu licentiæ datæ pro casibus necessariis, ingrediatur, nisi tunc quando vere urget necessitas; non ergo vult necessitatem esse majorem, sed ut vere insit in usu ipsius licentiæ; et ad hoc addit pœnas quas Concilium non posuit.

17. *Necessitas, quæ a Tridentino postulatur, duplex est.* — Est autem advertendum, hanc necessitatem duplicem esse posse, unam communem et ordinariam, aliam extraordinariam pro multis repentinis vel inopinatis eventibus, qui non possunt per ordinariam providentiam præveniri. De priori videtur tantum locuta glossa supra citata; sed sine dubio textus, quem exponit, multo latius loquitur, absolute loquens de causa rationabili. Illa ergo necessitas ex natura rei excipitur in tali lege, et in omni regula monialium. Sed in illa necessitate potest esse latitudo, ut quod plures medici ingrediantur ad visitandam infirmam, vel unus sufficiat, et similia. Et propter hanc determinationem necessarium est prudens arbitrium Prælati, neque alia regula pro tali necessitate assignari potest. De posteriori etiam necessitate dicendum est, consideratam esse a Concilio; et fortasse ob illam præcipue illa verba, *in necessariis*, posuisse; nam alia per se nota erant. Gradus autem seu mensura hujus necessitatis prudenti etiam arbitrio ejusdem Prælati relinquitur, quia nulla alia regula assignari potest. In hoc autem iudicio præstando facile unusquisque intelligit majorem necessitatem postulandam esse ad ingressum viri quam feminæ, et ad ingressum nocturnum quam diurnum, et sic de aliis circumstantiis. Pro his etiam necessitatibus extraordinariis, quæ sub generali facultate comprehendendi commode non possunt, ubi Prælati longe distant a monasteriis, necesse est ut

alicui committant vices suas, qui in repentinis casibus, quando est periculum in mora, possit hujusmodi licentiam dare, ne cogatur Abbatisa uti epikœia, quæ etiam in hac lege locum habebit, si revera moralis necessitas superveniat, et Prælati consuli non possit; nam hæ leges moraliter sunt intelligendæ.

18. *Dubium primum circa hanc necessitatem.* — *Primum pronuntiatum pro hoc dubio.* — Sed supersunt hic nonnulla dubia. Primum est, an possit Prælati dare hanc facultatem non solum ad ingrediendum ad breve tempus, sed etiam ad habitandum, seu diu permanendum ibi, si necessitas moralis id postulet. Hoc maxime locum habet in servitricibus, si non inveniuntur sufficientes quæ velint profiteri, nec in perpetuum monasterio offerri, an possint seculares esse. Quarum necessitas esse potest vel pro toto conventu, vel pro aliqua particulari moniali. In quo primo dicendum est, ex vi Concilii non esse prohibitum, si casus revera censeatur necessarius. Probatur, quia Concilium non limitavit ingressum ad breve vel longum tempus, sed absolute de illo loquitur, *in casibus necessariis*; ergo si necessitas postulat diurnam moram, vel habitationem post ingressum, Concilium illam non prohibet. Deinde nullum est aliud decretum juris communis, quod hoc prohibeat, vel quod distinguat in hac parte inter ingressum et habitationem. Neque etiam post Concilium invenio constitutionem Pontificiam hoc expresse prohibentem. Imo, si verum esset quod Navarrus sentit, Pium V et Gregorium prohibuisse conversarum professionem, tacite in hoc permisissent servitricibus seculares; quia verisimile non est voluisse Pontifices, ut in monasteriis Sanctimonialium nullæ sint feminæ, quæ in rebus et servitiis necessariis ad humanam vitam eis famulentur, cum, moraliter loquendo, illis maxime indigeant. Quia vero certius credimus non esse prohibitum monialibus habere professas conversas, ut cap. 8, a num. 19, ostendimus, ideo necessitas famularum secularium multo rarior esse potest.

19. *Secundum pronuntiatum.* — Unde secundo dicitur licentiam pro his famulabus dari non posse, nisi vera necessitate existente, et sub conditione servandi clausuram, ita ut nunquam egrediantur, et si semel egressæ fuerint, nunquam amplius ingrediantur. Ratio prioris partis est, quia cessante necessitate, cessat casus de quo Concilium loquitur; cessabit autem necessitas, quoties per conversas

professas sufficienter potuerit monasterio ministrari. Unde si non desit occasio moralis recipiendi illas, non erit liberum Prælati dare potius licentiam ad ingressum secularium servientium, quam ad recipiendas conversas professionem emissuras. Et hoc maxime confirmat constitutio 13 Gregorii XIII, quæ prohibet, ut conversæ non professæ, si profiteri noluerint, in domum remittantur, et in futurum non recipiantur, nisi suo tempore professionem emissuræ; quæ prohibitio adeo est rigorosa, ut videatur excludere omnino a monasteriis monialium usum servitricium secularium; nam si prohibet tenere conversas non professas, multo magis servientes omnino seculares; quia conversæ magis accedunt ad statum religiosum, minusque videntur posse obstare clausuræ, aut aliis religiosis observantiis monialium. Nihilominus tamen, quia expresse loquitur de conversis, non extendam prohibitionem rigorosam ultra casum expressum ob similitudinem rationis, cui facile responderi potest. Intelligo igitur Gregorii mentem fuisse, ut necessarium ministerium monialium fiat per conversas professas, et ideo si possit haberi copia earum, non poterunt admitti famulæ seculares, ut etiam citato cap. 8 diximus, ex mente Concilii. Si autem desit earum copia, non existimo prohibitum esse a Gregorio, ne talia ministeria possint per famulas fieri de licentia Prælatorum, et cum aliis conditionibus debitis; quia non est verisimile voluisse in hujusmodi eventu relinquere monasteria sine remedio. Tunc autem potius recipiendæ sunt seculares quam conversæ non professæ, quia hoc est expresse prohibitum, et non illud. Et ratio esse potuit, quia famulæ dimitti possunt quoties sese obtulerit occasio recipiendi novitias conversas professionem emissuras; quod in aliis oblatiis vel conversis non ita fieri posset. Item, quia in monasteriis monialium nulla apparet necessitas vel utilitas harum conversarum non professorum; nam si sunt utiles ad ministeria, et volunt se consecrare Deo per professionem, non est cur non admittantur; si autem profiteri nolunt, non est cur ad aliud genus oblationis vel perpetui contractus recipiantur. Altera vero pars colligitur ex mente Concilii et Gregorii XIII, et ex declarationibus Cardinalium, quas statim numero sequenti referemus. Et ratio est, quia hæc facultas danda est cum minima læsione clausuræ quoad fieri possit, quia est dispensatio in re gravi, quæ coarctanda est. Præsertim,

quia per se et ex natura rei est id necessarium ad custodiam et honestos mores monialium.

20. *Tertium pronuntiatum.* — Ultimo dicitur, hanc facultatem dari posse pro communi necessitate monasterii, non vero pro particulari servitio unius vel alterius monialis. Hoc etiam a fortiori colligitur ex declarationibus Cardinalium. Est enim consentaneum professioni religiosæ, alioquin singulæ moniales proprias famulas habere vellent, quod esset contra decorem, et religionem monasterii. Ratio vero est, quia ille non est casus necessitatis, cum per monasterii communes servitricibus seu coadjutricibus possit sufficienter singularum necessitatibus provideri. Quod si existat casus (id enim frequenter contingere potest) in quo aliqua monialis indigeat particulari cura, et ministerio alicujus famulæ vel sociæ, ad curam Prælatæ, vel Abbatissæ, spectat aliquam ex servientibus huic ministerio omnino applicare. Unde ob hujusmodi necessitates licitum erit facultatem dare ad augendum numerum servitricum secularium, si conversæ professæ, vel aliæ moniales ex junioribus juxta usum et consuetudinem monasterii, non sufficiant. Tunc autem revera non datur facultas ut aliqua admittatur ut famula alicujus particularis monialis, sed ut pro servitio monasterii ingrediatur; applicatio autem ad tale ministerium fit ex Abbatissæ voluntate.

21. *Secundum dubium.* — Juxta hæc definiendum etiam est aliud dubium, an possit Episcopus vel Prælatus monasterii dare licentiam ut puellæ seculares in monasteriis educantur, vel ut aliæ honestæ feminæ ob graves causas intra ea commorentur per aliquod tempus. Videbatur enim ex dictis sequi non posse, quia illi non videntur casus necessarii respectu monasterii, de quibus videtur locutum Concilium. Nihilominus Congregatio Cardinalium sæpe declaravit hoc non esse prohibitum per Concilium. De qua re septemdecim declarationes refert Emmanuel Rodriguez, dict. quæstione 46, articul. 10, quarum omnes, præter ultimam, ad manus meas pervenerunt, et plures aliæ ejusdem fere tenoris. In quadam tamen earum in generali adhibetur limitatio: *Licet Episcopo vel superiori in monasteriis sibi subjectis dare licentiam recipiendi puellas in monasteriis, et ibi commorari, ut recte in omnibus instruantur, licet nolint religionis habitum suscipere, cum certis tamen conditionibus, non obstante Concilio Tridenti-*

*no.* Illæ autem conditiones in aliis explicantur. Prima, ut nullas secum afferant vel habeant ancillas; secunda, ut exire non possint nisi non reversuræ; tertia, ut obligatæ sint ad clausuram et ad cætera sicut moniales; quarta, ut in eo vestitu incedant, qui virginali modestiæ et pudori conveniat; quinta, ut ibi esse non permittantur ultra ætatis suæ annum vigesimum quintum; sexta (quæ ex 9 declaratione a dicto auctore allata colligitur) est, ut facultates habeant, vel parentes a quibus postea dotari in matrimonio, vel in aliquo monasterio possint; septima, ut hoc non extendatur ad viduas, etiamsi velint perpetuo in monasterio vivere, nisi velint fieri moniales, quia (dicitur in declaratione undecima) *in istis nulla adest causa necessaria*; quod verbum notandum est pro his quæ dicemus; et quia in aliis casibus necessariis, etiam mulieres maritatæ permittuntur ibi recipi ad tempus, declaratione decima tertia et decima quarta; octava conditio sumi potest ex decima sexta declaratione, ut feminæ, quibus talis facultas datur, inhoneste non vixerint, præsertim si non consuevit monasterium hujusmodi feminasmittere; nona, ut hoc non repugnet institutis seu consuetudini monasterii; decima, ut Abbatissæ et monialium consensus accedat.

22. *Quæ in Cardinalium declarationibus obscura sint.* — In quo notanda sunt verba cujusdam interrogationis et responsionis ejusdem Congregationis Cardinalium, quæ mihi ambigua visa sunt; scilicet: *Utrum puella introduci possit intra claustra monialium, ad hoc ut educatur ibi etiam absque licentia Ordinarii quoad monasteria regularibus subjecta. Respondet Congregatio posse, obtentis tamen litteris ab ipsa congregatione in forma præscripta; non autem ex sola licentia superiorum regularium.* Dubium enim mihi est (cujus perfectam intelligentiam Romæ procurari vellem) quæ sit illa congregatio, cujus litteræ requiruntur. Nam si sit ipsamet Congregatio Cardinalium, ut vocis similitudo indicat, repugnat hoc aliis responsis, in quibus sæpe dicitur sufficere licentiam Prælati, juxta tenorem Concilii. Item non constat congregationem illam habere jurisdictionem, sed solum ministerium pertinens (ut sic dicam) ad clavem scientiæ. Denique non constat quæ sint illæ litteræ necessariæ, vel quæ sit forma præscripta earum. Si autem sit sermo de congregatione ipsius monasterii, primum inusitatus est modus loquendi, nam significari potius

solet nomine monasterii aut conventus. Deinde, licet ejus consensus requiratur, non tamen scripta licentia; ergo nec litteræ sub aliqua certa forma. Nec minus obscurum est quod ibidem consequenter subditur: *Neque etiam de licentia Ordinarii, et Superiorum, illa, quæ habitum regularem suscipere vult, et ibi permanere, potest ibidem commorari per aliquot dies, ut magis perspicere possit monasterii et ordinis regulam, nisi obtentis litteris ab ipsa Congregatione.* In quo responso valde quidem probabile mihi est non posse Prælatos dare licentiam, ut quæ volunt moniales fieri, prius ante susceptionem habitus novitiarum, per aliquot dies intra monasteria recipiantur; quia ille non est casus necessitatis, tum quia ad hoc datur annus probationis, ut regula et monasterii mores perspiciantur; tum etiam quia extra monasterium potest regula videri, et sufficiens informatio sumi. Et præterea, quia illo titulo possent plures ingredi, et postea exire ante receptionem habitus, quod esset occasio et fingendi similem occasionem, et perturbandi moniales. Quod autem ibi adjungitur, *nisi obtentis litteris ab ipsa Congregatione*, non satis intelligo. Tandem ex his declarationibus colligo, casum necessitatis, quem Concilium requirit, non limitari ad necessitates ipsius monasterii, vel monialium, sed extendi etiam ad necessitates proximarum, id est, mulierum quarum gravi necessitati spirituali, vel corporali per illum ingressum, vel habitationem subveniri potest sine incommodo, vel violatione regulæ monasterii; in hoc enim principio fundantur omnes declarationes relatæ, quia non sunt quasi relaxationes rigoris Concilii, sed veram ejus interpretationem continent.

23. *Dubium tertium.* — *Vera resolutio.* — Tertio, dubitari potest an hæc prohibitio vel coarctatio extendatur ad ipsos Prælatos, qui suo jure possunt ingredi monasteria monialium; cujusmodi sunt omnes, et soli illi qui possunt facultatem ingrediendi aliis dare; quia certum est eos non indigere speciali licentia Pontificis, sed ipso jure illam habere ratione sui muneris, cum possint aliis præstare. Videntur ergo posse uti hoc jure, suo arbitrio, rationabili quidem, tamen sine præcisa limitatione ad casus necessarios a Concilio posita; quia Concilium solum dixit de Episcopis vel superioribus, quam licentiam dare non possint; non autem dixit, non possint accipere, vel non valeant sua potestate uti. Denique dare licentiam non dicitur pro-

prie respectu sui ipsius; ergo illa lex non est extendenda, cum in hac parte sit rigoroza. Nihilominus Gregorius XIII, constitutione sua 75, dubiis emergentibus ad hoc specialiter edita, declaravit Concilium comprehendere etiam hos Prælatos, ut ingredi non possint, nisi in casibus necessariis: *Et in eis* (inquit Gregorius) *ut ingrediantur, a paucis, idque senioribus personis comitati.* Unde dare licentiam intelligitur Episcopus, etiamsi sibi ipsi illam faciat; nam in hoc etiam in generali lege quodammodo dispensat, et ideo eandem seu proportionatam causam requirit. Et hanc suam mentem satis explicuit idem Concilium, dum infra, cap. 7, præcipit ut *is, qui electioni Abbatissæ præest, Episcopus, seu superior, claustra monasterii non ingrediatur, sed ante cancellorum fenestellam vota singularum audiat vel accipiat.* Si quis enim ingressus videri poterat rationem aliquam habere, maxime ad electionem faciendam, et tamen, quia non habet necessitatem, declarat Concilium in eo non licere ingressum. Inde tamen commutata ratione intelligi potest, si aliquis casus occurrat in quo, propter perturbationem monialium, vel alias causas, necessarium sit superiorem ingredi ad electionem faciendam, non esse prohibitum id facere; quia Concilium per posterius decretum non revocavit prius, sed declaravit solam electionem non esse casum necessitatis; ergo quacumque ratione accidat fieri casum necessitatis, habet locum prius decretum, ut recte notavit Navarrus, dict. comment. 4, num. 59, et in Summa, cap. 27, num. 124.

24. *An ingressus tantum vel an etiam accessus ad dicta monasteria sit prohibitus.* — *Ingressus et accessus distinguuntur.* — Ultimo tractari potest, utrum hæc prohibitio extendatur etiam ad accessum ad monasteria monialium. Quod difficultatem nullam habet (mea sententia) spectato solo Concilio Tridentino, nam in eo nulla fit mentio accessus, sed solius ingressus. Et ita censeo certum omnia quæ disponit, ad solum ingressum pertinere, nec per alium actum violari prohibitionem ejus aut incurri censuram. Dubium ergo oritur ex decreto Bonifacii, quia hæc duo distinguit, dicens: *Nullique inhonestæ personæ, nec etiam honestæ, ingressus, vel accessus patet ad easdem.* Et eodem modo loquuntur nonnulla antiqua decreta, quæ statim indicabimus. Nec videtur dubium quin illæ duæ voces diversos actus significant, tum quia sub

disjunctione ponuntur quasi ad augendum præceptum. Quia in cap. *Monasteria*, de Vita et honest. cleric., prohibetur frequentia ad monasteria Sanctimonialium; per frequentiam autem non intelligitur frequens ingressus, qui usitatus non est; ergo intelligitur accessus; igitur accessus nomine intelligi debet, quod vox in proprietate significat, aditum ad monasteria monialium, visitandi vel colloquendi gratia. Unde non est sermo de accessu ad earum ecclesias, sed ad earum colloquia et aspectum. In hoc ergo sensu videtur Bonifacius prohibuisse accessum, etiam sine ingressu, cum illa vero limitatione, nisi rationabilis, et manifesta causa existat, et de illius, ad quem pertinuerit, speciali licentia.

25. *Bonifacii et Alexandri prohibitiones hac de re, et discrimina inter utramque prohibitionem.*— Videtur autem Bonifacius auxisse prohibitionem Alexandri III, in d. cap. *Monasteria*. Nam Alexander solum de viris locutus est; Bonifacius vero de omnibus personis. Et quamvis glossa ibi in propositione casus videatur ad viros limitare textum, tamen sine dubio loquitur generaliter de omnibus, ut supra dixi. Item Alexander solum frequentiam prohibuit, quæ addit supra accessum iterationem, seu repetitionem actus. Quanta autem illa esse debeat, glossa ibi duplicem actum putat sufficere, quod non placet Hostiensis, sed iudicandum putat ex communi usu loquendi. Itaque prudenti arbitrio relinquatur. Nam, si inter unum et alium accessum longum tempus interponatur, non poterit dici frequentia; secus vero erit si intra breve tempus sæpius accedatur. Recte autem advertit Panormitanus, ex Joann. Andrea, maxime damnari quando post monitionem iterum acceditur, nam tunc prava generatur suspicio. Bonifacius autem absolute accessum prohibet; unde neque unum tantum permittere videtur sine manifesta et rationabili causa. Est etiam alia differentia, quia Bonifacius nullam imponit pœnam; Alexander autem clericis comminatur pœnam suspensionis, non ipso jure illas imponens, sed præcipiens Episcopis ut imponant, præmissa prius monitione, et speciali prohibitionem, etiam ab homine; quæ pœna manifeste supponit culpam gravem, saltem post Episcopi monitionem, nam antea habere posset aliquam excusationem, nisi frequentia evidenter esset nimia, et cum aliquo scandalo.

26. *Quæstioncula triplex.*— *Resolutio prima, an Bonifacii prohibitio de accessu vigeat.*

—Dubium ergo nunc superest, primo, an prohibitio Bonifacii obliget ad culpam in quocumque accessu. Secundo, an ex vi illius legis semper sit peccatum mortale accedere ad monasteria monialium sine conditionibus a Bonifacio positis. Tertio, inquiri potest an sub hac prohibitionem comprehendatur etiam scriptio litterarum. Quoad primum, dicendum est ex vi illius legis fuisse prohibitum hujusmodi accessum, quia verba ejus in proprietate accipienda sunt, et in ea continent hanc prohibitionem; quam ita intelligunt Sylvest., verb. *Religio*, 7, quæst. 16; Angel., verb. *Monialis*, num. 3. Vereor tamen legem illam, sicut non fuit recepta quoad ingressum, ita etiam neque quoad accessum; quia consuetudo obtinuit ut moniales in hac parte juxta suas regulas et receptos usus gubernentur. Dubitari vero potest an Concilium Tridentinum innovaverit hanc constitutionem quoad hanc partem. Ad quod videtur negative respondendum. Nam, licet in principio dicti cap. 5, incipiat: *Bonifacii VIII constitutionem renovans sancta Synodus*, etc., postea explicans in quo renovet, solum egressum et ingressum commemorat. Unde non video cur Navar., dict. Comment. 4, num. 61, vers. 6, dixerit præfatum cap. *Periculoso*, et Concilium non solum vetare frequentiam, sed simpliciter omnem accessum. Nam, licet hoc sit verum de cap. *Periculoso*, Concilium tamen de accessu nihil locutum est. Magis videtur eam innovare Pius V, d. constit. 8, *Circa pastoralia*; nam dicit: *Quam nos auctoritate præfata etiam approbamus et innovamus in omnibus, et per omnia, ac illam observari mandamus.* Ergo etiam quoad hanc partem præcipit observari. Si quis autem attente consideret, solum eam innovat quoad clausuram, et quoad omnia et singula quæ ad illam pertinent. Accessus autem prohibitus videtur esse ultra clausuram; imo Pius V solum de illa parte clausuræ, quæ prohibet egressum, videtur ibi loqui, ut ex tota constitutione, et ex constitutione 100 ejusdem constat. In constitutione autem 22, ubi attingit aliquid de altera parte clausuræ, solum loquitur de ingressu, quamvis ibi potius agat de monasteriis virorum. Gregorius autem XIII, in sua constitut. 36, de monasteriis etiam monialium tractans, solum ingressum prohibet; imo in constit. 13 sic inquit: *Et quidem post sacri Concilii Tridentini decretum, quo constitutio felicitis recordationis Bonifacii Papæ VIII, prædecessoris nostri, quæ incipit, Periculoso, renovatur, prohibens ne aut ipsis*

*monialibus ex monasteriis suis egredi, aut ulli cujuscumque sexus aut ordinis personæ ad eas ingredi liceat.* In novis ergo decretis non invenio specialem prohibitionem canonicam de hujusmodi accessu. Et ideo non possumus cum sufficienti fundamento asserere esse malum quia prohibitum; sed ex circumstantiis et modo judicandum est. Semper tamen sacri canones hujusmodi accessum aversati sunt, ut videre licet in cap. *In decima*, et cap. *Definitus*, et aliis, 18, q. 2.

27. *Resolutio secunda: mortale non est, per se loquendo, accessus ad colloquendum cum monialibus.*—Ad secundum dubium hinc constat, ex vi solius prohibitionis Ecclesiæ hoc non esse peccatum mortale, quia nulla talis est. Non dubito tamen quin decretum Bonifacii ex suo genere illam induceret; si tamen illud consuetudine derogatum est, affirmare non possumus hoc esse peccatum mortale ex suo genere, quia nullum apparet aliud jus positivum, quo districte prohibeatur, seclusa frequentia, quam satis graviter prohibet dict. cap. *Monasteria*, quod dici non potest consuetudine derogatum. Ablato autem jure positivo, ex natura rei non est intrinseca malitia, præsertim gravis, in hujusmodi accessu. Erit autem mortalis culpa, primo ex prava intentione; secundo, ex materia locutionis; tertio, ex scandalo, vel respectu monialis, si ei occasio peccandi detur, vel respectu sui ipsius, si quis sciat se inde constitui in periculo peccandi, vel respectu aliorum, si inde rumor vel mala suspicio oriatur. Unde quarto potest esse gravis culpa propter injuriam quæ fit monasterio, si aliqua infamia inde oriatur. Unde addo quinto, omnem accessum furtivum ad moniales esse peccaminosum. Voco autem furtivum omnem illum, qui fit sine licentia Abbatissæ, vel ejus ad quem pertinet illam dare, et regulariter censeo esse peccatum mortale, etiamsi ad mortalem finem non ordinetur, quia est contra jus monasterii et Abbatissæ, et contra bonum nomen ejus, nam inter seculares furtive accedere ad colloquendum cum virgine existente sub cura parentum, ex suo genere est gravis injuria; multo ergo magis in virgine sacra. Erit autem gravior hæc culpa, si accessus sit ad loquendum per loca inusitata, quia tanto est major injuria, et periculum scandali. Sexto denique, solent hoc Episcopi per generales sententias prohibere, et Sylvester refert synodales excommunicationes, sub quibus solet hoc prohiberi; quæ sine dubio sunt justissi-

mæ, et obligant graviter etiam in individuo, in quo interdum cessare possent incommoda, vel ratio gravis malitiæ; quia lex non cessat in particulari, etiamsi ratio legis ibi cessare videatur. Talis ergo excommunicatio in universum obligat. Imo invenio quoddam responsum Congregationis Cardinalium, datum 9 die aprilis, anno 1587, quod sic habet: *Regulares adeuntes monasteria monialium sine licentia Episcopi, incidunt in pœnam excommunicationis, quam Episcopus suo edicto proposuit, nisi regulares illi haberent ex privilegio, quod non possint excommunicari; et tunc deberent puniri a suis superioribus alia pœna. Qui regulares sic excommunicati non possunt absolvi a suis superioribus, sed ab Episcopo, qui sibi hanc absolutionem reservavit.* Ex quibus satis colligitur quam grave iudicetur hujusmodi præceptum a prædicta Congregatione. Quando autem accessus non est furtivus, sed cum facultate ejus ad quem pertinet dare, licet fortasse sit sine necessitate, vel causa sufficienti, imo, licet sit ex causa ficta, non erit peccatum mortale secluso scandalo, et prava intentione, et nimia frequentia; quia non videtur res ex objecto gravis, nec specialiter prohibita per jus positivum, ut declaratum est.

28. *Resolutio tertia, de descriptione epistolæ.*— Eadem est resolutio ad tertiam interrogationem, nullum enim invenio jus de illa re specialiter constitutum. Imo etiam cap. *Periculoso*, quamvis esset in sua viridi observantia, non esset extendendum ad hunc casum; quia scribere litteras in rigore non est accedere, et lex non est extendenda ultra proprietatem terminorum. Unde Navarrus, dict. Comment. 4, num. 61, refert prohibitionem, seu edictum factum Romæ de hujusmodi scriptione, quod dicit non obligare extra urbem, quia non fuit lex Pontificia. Et cons. 19, de Sentent. excomm., refert aliam specialem prohibitionem factam quibusdam religiosis a Gregorio XIII, sub pœna excommunicationis, quæ illos obligat, non alios. Itaque de hac re nulla est prohibitio legis positivæ, sed de illa judicandum est juxta circumstantias et finem actionis, et cum proportionem fere applicari possunt, quæ de accessu diximus num. præcedenti.